



SPECIMEN INAUGURALE
SISTENS
OBSERVATIONEM
DE
CONCEPTIONE
TUBARIA
CUM EJUS EPICRISI
QUOD
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU
PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
RITE CONSEQUENDI
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT
FRANCISCUS HENRICUS CORVINUS
ARGENTINENSIS
DIE XXVIII NOVEMBRIS A. MDCCCLXXX.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Academiæ Typ.

**P A R E N T I
O P T I M O
S A C R U M.**



§. I.



Cum in eo essem, ut Inauguralem conscriberem Dissertationem, optimus meus Parens mihi proposuit observationem aliquam, quam ante aliquot lustra ei facere contigit, & quæ mirum conceptionis tubariæ & sèpius inde oriundorum malorum exemplum fisiit. Hunc præternaturalem casum, quem attentione Medicorum dignum judicavi, exponens, non inconsultum duco ea breviter adducere, quæ naturali conceptione fieri solent, iisque subjungere generalem conceptionum præternaturalium ideam; quibus absolutis sequetur ipsa historia cum ejus epicrisi.

§. II.

Fœcundo igitur, qui secundum naturam fit, coitu tubæ eriguntur, fimbriis suis amplectuntur ovaria, mul-

A

toque etiam post coitum tempore applicata manent, simul
 etiam ovariorum vasa sanguine turgent, una ex vesiculis Graa-
 fianis præ reliquis eminet, & intra ostium tubæ compre-
 henditur; eodem tempore Aura sic dicta Seminalis ma-
 scula in tubos ex utero suscepta ad vesiculam Graafianam
 defertur, quæ tunc inflammatur & effluxis aliquibus die-
 bus rumpitur. Illo demum tempore aura seminalis nude
 attingere potest ovulum, & probabili conjectura embry-
 onis Vivificatio fit, id est, referente HALLERO, „embry-
 onis in ovulo latentis, nec increascentis, neque nisi len-
 tiſſimo humorum motu agitati, corculum ad majores
 excitatur contractiones, ut sensim complicata vascula
 reliqui corporis impulso humore explicit, motum vi-
 „talem per omnes canales corpusculi animalis propaget”,
 excitata simul ovuli embryonem circumdantis vasa dispo-
 nuntur, ut accipere a maternis partibus queant humores
 atque embryoni tradere. Quod ut justa in ratione con-
 tingat, oyulum apto loco matri accrescere & rite nutriti
 debet; ejusmodi autem locus Graafiana vesicula non est,
 sed uterus; exit igitur illud e vesicula in tubas, & ex-
 inde traditur utero. Ita *Naturalis* peragitur *Conceptio*.
 Hoc conceptionis negotium cum valde compositum sit
 naturæ opus & subtilissimas fere respiciat corporis partes,
 interdum errores patitur, unde varia oriuntur phæno-
 mena sub Conceptionis Præternaturalis nomine venientia,
 & quæ breviter rimari nunc suscipiam,

§. III.

Ovulum in vesicula animari dictum, vivens a tuba recipi debere etiam notum; si vero vivum ovulum in Vesicula remanet, illi accrescit & in ea nutritur, simili modo, quo in utero contingere solet, *Ovariam Conceptiōnem* factam esse dicimus. Retentionis ovuli vivi in vesicula sequentes esse possunt caussæ. Ovulum forte jam ante conceptionem nimis accretum fuit, aut conceptionis tempore nimis accrebit vesiculæ, aut liquor in hac contentus nimia laboravit tenacitate. Fortasse etiam aura seminalis ingredi nonnunquam potest per vesiculæ poros in ejus caveam, hinc ovulum animari absque ut vesicula inflammetur & rumpatur. An etiam nonnunquam, sola, quam impellens semineus halitus excitat vesiculæ coniunctione, ovulum in ea latens potest animari?

§. IV.

Si ovulum vivum ex Graafiana vesicula exit quidem, tuba autem non rite est ovario applicita, nonnunquam accidit, ut ipsum ovulum a tuba vel penitus non recipiatur, sed ex ovario in abdomen decidat, vel a tuba recipiatur, mox autem iterum ex ea elabatur a) in peritonæi

a) Cum de foramine, quod ex tuba in abdomen hiat, in sequentibus plura dicam, hinc ea, quæ Clar. MARHERR T. III. p. 556. de eo tradit, apponam: „Per tubas aliqua inter uterum & ca-

faccum, ibi accrescat, aut ipso huic facco aut visceri aliquo in eo contento suorum villorum ope, hacque accretione ex vasis facci nutrimentum hauriat & increscat. Hoc modo oritur *Conceptio Abdominalis*.

§. V.

Si ovulum animatum a tuba quidem recipitur, sed inde non deducitur ad uterum, accrescit in illa, ni in totum perit, & nutritur, sicque oritur *Conceptio Tubaria*.

§. VI.

Rarissime ovulum cum intus latente embryone tali præternaturali modo conceptum *consumatum*, ut vocant, evadit, id est, ad maturitatem foetus novimestris perve-

„vitatem abdominis communicatio est, cum extrema tubarum
„ostia hinc in uterum, ibi in pelvim pateant, licet uterus totus
„mediante peritonæ ab abdomine seclusus sit; est etiam commu-
„nicatio inter abdomen & ovaria; & hinc intelligitur, qui fieri
„potuerit in quibusdam rarioribus exemplis, ut concluso uteri
„orificio sanguis menstruus ex uteri cavea in pelvim & abdomen
„effluxerit, cujusmodi observations apud RUVSCHIUM aliasque
„extant; item qui fieri possit, ut ovulo in ovario imprægnato, si
„id ob qualemcumque causam per tubas ad uterum non defertur,
„embryo in ovario increscat & rupta denique ovarii membrana
„in abdomen perveniat.” Ill. HALLER foramen hoc adeo magnum
nonnunquam repertum fuisse pronunciat, ut digitum receperit.

nit, quum ut plurimum vasa, quibus ovulum his in cassisibus accrevit, non sufficiens nutrimentum ei possint largiri, quia & ipsa parva sunt & præterea ovuli expansione angustantur. Hinc aut ovulum ad certam magnitudinem, e. gr. foetus sex mensium excretum, nimis expandit cavitatem, in qua est contentum, eam rumpit, & sic destruitur, aut non amplius rite nutritum moritur & mortuum aut exsiccescitur, aut in putredinem ruit.

§. VII.

De cuiusvis præternaturalis conceptionis eventu exempla auctores colligere. CYPRIANUS b) memorabile exemplum tradidit de foetu, qui in tuba ad consuetum partus tempus usque nutritus, tum demum periit. LAUGIER c) sese ex tuba consumatum & vivum foetum per ordinariam viam extraxisse, dicit; quam observationem vero falsam pronuntiat GUILHERMOND d).

Exempla ovulorum, cavum, in quo erant præternaturali modo concepta, incremento adeo expandentium, ut hoc sit ruptum, plura prostant; talia recensent DIONIS e), SANTORINUS &c.

b) Epist. ad Millington p. 190. 191.

c) Journal de Medecine T. XLI. Ann. 1774. Fevrier.

d) Ibid. T. XLII. Ann. 1774. Juillet.

e) Cours d'Opérat. de Chirurg. pag. 156.

Exsiccatorum foetuum plures possent adduci observationes, quarum solummodo duas tradam. Cl. NEBEL f) reperit in cadavere vetulæ foetum osseum, qui per quinquaginta quatuor annorum spatum in abdomine hæsit. STARKEY g) in tubæ Fallopianæ lato fine invenit semicalcareum foetum per sedecim annos in ea hærentem, per quod temporis intervallum tamen foemina quatuor fanos partus edidit, sed continuum dolorem in abdominis regione, quam foetus occupabat, sensit.

De putrefientibus foetibus præternaturaliter conceputis plura etiam habemus exempla. Idem STARKEY sequentem etiam observationem inseruit Philosophicis Transactionibus h); Fœmina, quæ post conceptionem continuum dolorem in inferiore abdominis parte sensit, præcipue quando alvum depositus, tandem per fedes ossa foetus carne & cute putrida instructa dejicit; omnibus foetus partibus hoc modo emissis, iterum restituebatur in sanitatem.

§. VIII.

Non vero semper putridæ partes sanie circumdatae inveniuntur, eoque demonstrant se resoluti foetus, non prorsus decompositas reliquias esse; sed visæ jam sunt iu

f) Að. Palatin. T. II. p. 403.

g) Philosophic. Transact. N. 484.

h) N. 475. pag. 304.

tubis, abdomine, ovariis partes nullo pure inquinatae & nutrimentum acceptum testantes postquam totus foetus diu jam vivere cessavit & ex parte destructus fuit. Cujus rei exemplum mea fistet observatio, quam nunc, prioribus ad illustrandum hunc casum breviter praemissis, recensere & rimari suscipiam; judicet indulgens lector, qui scit quam sit difficile intima naturae opera perscrutari, in quantum hoc in morbo adeo complicito ejus vestigia presserim.

§. IX.

OBSERVATIO.

Uxor quædam triginta sex annos nata, quæ decem annorum spatio quatuor robustos fanosque edidit partus, & quidem ultimum anni 1770. Majo, nec unquam passa est abortum, & præter vermium incommoda, quibus nonnunquam vexabatur, bona est gavisa sanitate, circiter medium Novembris 1771, quo tempore menstruum fluxum experiri debuisset, illum non est experta; aliquo tempore effluxo incepit etiam sentire continuum dolorem dextro in latere, parvum & quidem illum locum occupantem, quem chirurgi in abdominis paracenthesi solent perfodere. In diem dolor est auctus, cui sub initium Januarii 1772. se junxit tumor abdominis, incassum adhibitis medicamentis aperientibus & resolventibus semper crescens; ut tandem versus finem Februarii, fluctuantes in

abdomine liquores percepint explorantes manus. Tunc contentum intus liquidum punctione educere instituerunt, & enī prodiere ad viginti usque libræ aquæ, sat magna fœtentis faniei copia mixta; operatione finita, continuante tamen semper lateris dextri dolore, domestica sua opera iterum aggressa est foemina. Sensim sensimque vero replebatur iterum abdomen liquore, ut sex hebdomatibus post primam operationem effluxis, ad secundam progredi cogerentur; sub qua e cannula exiere, primo octo circiter libræ faniei multum fœtentis & postea pauca aquæ quantitas; educto liquido ægrotta uti post primam operationem fecit, naviter fungebatur suis officiis; sed semper memorato dolore affecta. Effluxis tribus aut quatuor septimanis tertia & sic quarta, quinta, sexta & tandem septima punctio vocabatur in auxilium, quibus semper ex abdominis cavo parvam modo aquæ quantitatem obtinuerunt, sed qualibet vice ultra octo libras faniei maxime fœtentis & adeo crassæ, ut vix e cannula exiret, & hanc statim nigro afficeret colore; nonnunquam effluxu faniei cessante ejus in locum aër strepitu erupit, quo egresso, iterum fanies prodiit. Sustenta qualibet operatione foemina iterum incubuit suis negotiis, continuante vero semper illo dextri lateris dolore. Cum aliquando vero optimo gavisa somno matutino tempore e lectulo surgere vellet, correpta cruento vomitu, statim tradita est neci, Calendis Augusti 1772.

§. X.

§. X.

Secto cadavere sequentia fuere observata.

Abdominis & pectoris musculi tenues quidem, vitio tamen caruere.

Densum valde erat peritoneum, & ob putredinem variis pictum coloribus.

Totum peritonei cavum repletum sanie maxime fœtente, simili illi, quæ per operationem effluxit.

Omentum totum putredine erat consumptum, ut vix ejus reliquiæ in magna ventriculi curvatura apparuerint.

Exterior ventriculi & præcipue magnæ curvaturæ, intestinorum, mesenterii & mesocoli lamina, ut & hæc tunica reliquo in peritoneo multas in bullas erat elevata, quarum aliquæ, præcipue ventriculi magnæ curvaturæ adsidentes, pugnæ magnitudinem excedebant; aliæ continebant pellucidam aquam, aliæ vero saniem.

Valde tenui membrana erant hæ bullæ & primo attactu rumpebantur.

Mesenterium & mesocolon variis in locis signa putredinis gesserunt.

Intestina maxime aëre farta erant.

Hepar nullo laborare videbatur vitio, præter Spigelianum lobulum, qui putredinis signa præ se tulit.

Bilis vesicula immunis quidem erat, sed loco flavæ bilis, pellucentem inclusit liquorem.

Pancreas & renes omni vitio destitutæ inventæ sunt.

B

Neque in liene fuit aliquis status præternaturalis observatus.

Ventriculus repletus erat sanguine coagulato, dextroque in latere, præcipue ubi vasa brevia sese distribuunt maxime inflammatus; arteria & vena coronaria multo sanguine extensa; vasa brevia sanguine turgida, & volumine ita aucta, ut calami scriptorii etiam magnitudinem superarint.

Cum attenti secantes observaverint illum locum, in quo misera hæc continuum sensit dolorem, viderunt hujus causam in Fallopiana tuba residere, cuius in ampla extremitate hæsit os, quod figura convenit, cum maxillæ inferioris parte inter symphysin mentalem & angulum maxillæ posita; longitudo fere duorum pollicum est, latitudo duabus tertii partibus pollicis æqualis; antice symphysin versus abruptum quasi est, postice duobus dentibus instructum, quorum posterior alveolo inclusus uniusque radicis, refert dentem molarem postimum, alter priori accumbens minorque duabus radicibus adhæsit ossi, ei non infixus est.

Os hoc totum inclusum erat tubæ, præter dentium coronam, quæ ex utroque per tubæ foramen libere in abdominis cavum eminuit; ex tuba in ossis foraminula villi hinc inde transiere; cæterum ea inter uterum, & ossis locum erat concreta.

Uterus naturali gaudebat magnitudine, & omni vitio carere videbatur.

Ligamenta vero ejus lata, rotunda, ovaria & tubæ putredine erant correpta.

Diaphragma & pulmones naturali in statu erant, præter quod hi ultimi plurimis filis pleuræ adhæsere.

§. XI.

Tribus morbis infelicem hanc præcipue ægrotasse, ex historica observationis relatione patere credo, quorum primarius fuit conceptio tubaria, ex quo prouti exponam hydrops cystica & vomitus cruentus sunt orti.

Concepisse mihi hæc foeminæ videtur aliquod tempus prius quam menses fluere cessaverunt, & primum dolores dextro in latere orti sunt.

Sub initium igitur Novembris 1771, tuba ovulum aliquod ex Graafiana vesicula accepit, hoc ovulum per tubam ad uterum promoveri debuisset, sed cum id factum non sit, necesse est sive unam aut alteram ex illis tubæ conditionibus defuisse quæ requiruntur, si ovulum promoveri debet a fimbriato tubæ fine in uterum, sive ipsum ovulum nimia laborasse magnitudine. Conditiones quæ requiruntur ad promotionem ovuli per tubæ canalem ad uterum, sive respiciunt constitutionem tubarum, sive vires quibus ovulum a tuba receptum per hanc utero inferuntur. Ad justam tubarum constitutionem refero præcipue 1. Exactam satisque continuatam tubæ ad ovarium applicationem; 2. justam earum situm & directionem; 3. sat

amplum ostium e tuba in uterus hians; 4. liberam viam per quam ovulum promoveri debet. An cum aliis etiam hoc referam accumulationem nimiam feminis masculini crassum semen nusquam in tubam pervenire, sed subtilem solummodo illum feminis halitum Aura Seminalis dictum.

Quænam fint illæ vires, perquas ovulum per tubam promovetur multum fuit disputatum; SENACIUS cum viderit injectione tubas turgere, credit determinato sanguinis ingressu in cavernosam tubæ substantiam, unam partem ejus post alteram angustari, hocque modo ovulum promoveri per tubam. BOERHAAVE vero & præcipue HALLER cum in brutis animalibus longitudinales & circulares musculares fibras, & ultimus ⁱ⁾ ipsum motum tubæ peristalticum viderint, docuerunt in homine idem fieri, quamvis in hujus tuba nullas tales detexerint fibras. Fortasse tubis idem accidit, quod utero solet, qui nimur solummodo puerperii tempore, quo præcipue suos peragere debet functiones musculares fibras monstrat; fortasse etiam felici harum virium conspiratione ovulum promovetur.

§. XII.

Hac de qua tractamus conceptione unam aut alteram, ex dictis tubæ conditionibus a justa norma aberrasse, aut

ⁱ⁾ l. c. T. VII. Libr. XXVIII. p. 104.

ovulum nimis magnum fuisse patet ex eo, quod hoc remansit in tubæ amplio fine; quæ vero præcipue peccaverit conditio, ex nullo fonte derivare mihi licuit; cum concretio tubæ quæ dissectione observabatur, conceptio-
nis tempore obtinuisse non potuerit, quia concreta illa, auræ seminali iter ad ovarium præclusum fuisset. An vero tunc jam nimis arcta fuerit tuba, hic non disputabo. Quidquid sit, ovulum remansit in ampla tubæ extremitate, & cum interior hujus facies arteriosis & veno-
sis propendentibus sit instructa finibus ^{h)}, in modum internæ uteri faciei, quid mirum, quod hic, prout in utero, plures villi arteriosi ovuli, accreverint venosis finibus tubæ & arteriosi tubæ villi, venosis ovuli. Hoc modo ovulum cum suo embryone in tuba nutriebatur, prout in utero ab initio nutriti solet, incrementum igitur etiam cepit.

§. XIII.

Mox volumine aucto replere initio incipiebat, tubæ finem, sed cum magis magisque ovulum increceret & evolveretur, extendebatur tandem ipsa tuba. Hoc vero fieri non potuit sine retis nervorum & vasorum, quod inter tubæ laminas est distentione. Unde ille lateris dolor, quem foemina primum fine Novembris, quo incipiente conceperat, sensit.

^{h)} HALLER Libr. cit. T. VII. Libr. XXVIII. pag. 106.

§. XIV.

Vasa tubæ communicantia cum ovuli vasis poterant quidem satis nutrire parvum embryonem, sed sane non amplius quum ille aliquot mensium ætatem affecutus esset, tam quia ovulum non potuit in toto suo ambitu tubæ accrescere, propter hujus faciem internam non undique id attingentem, quam quia illius incremento, retia vasorum tubæ a quibus id nutrimentum accipere debuisset pressione & extensione angustabantur. Ovulum igitur cum foetu per aliquot menses increvit, sed postea non amplius rite nutritum, tabe confici cepit, tandemque mortuum est, quod sub initio Januarii mensis accidit. Post mortem foetus putredine corripiebatur ut & ovulum, & sic primo molles partes tunc etiam ipsa ossa in putridum resolubebant liquamen, quod prouti sensim sensimque ex foetus partibus oriebatur, statim per illud naturale tubæ foramen, quo in abdominis saccum hiat, in eum effluxit. Caussæ cur hoc liquidum putredinem non communicavit ipsi tubæ, hæ possunt esse. Ob deficientem aërem ad putredinem adeo necessarium, non statim eo tempore quo adhuc in tubis erat, tantam acquisivit acrimoniæ gradum, ut arrodere potuisset ipsam tubam; porro sua quamvis levi acrimonia, irritavit fontes, qui mucum in tubam deponunt, hi non amplius tubæ expansione angustati & nunc irritati, copiosiorem deponebant mucum, qui liquamine in tuba adhuc contento mixtus, acrimo-

niam ejus infrinxit, & sic tubam a putredine defendit. Si etiam experientiam consulimus, illa nobis multa tradit exempla, ex quibus patet unam partem corporis nostri posse putredine consumi, absque ut altera cum qua putrefcens immediate communicat, aut cujus pars est, etiam putredine afficiatur; sic per carcinomā nonnunquam omnes tunicæ testiculum involventes consumuntur, non tamen ipse testis putredinem contrahit, sic e fonticulis, ulceribus cacoëtheis per longum temporis spatium acris materies effluit integris manentibus ulceris parietibus; maxime vero hoc declarat ille tubariæ conceptionis casus, quem, quum de putrescentibus fœtibus in genere dixi, recensui, ubi nimirum fœtus in abdomen concepti & ibi corrupti partes cum magna faniei copia intestinum rectum perforarunt, perque alvum deponebantur, superflite tamen muliere. Resolvebantur & effluebant ex tuba in abdomen omnes ovuli & fœtus partes, præter maxillæ inferioris partem, quæ forte nude attingens interiorem tubæ faciem, sequenti modo cum ea concrevisse videtur. Arteriæ & venæ maxillaris abrupti fines, concreverunt cum villis tubæ; sed sola hac arteria os nutritum fuisse mihi non videtur, cum tota superficies ossis plurimis parvis foraminulis in ejus substantiam penetrantibus, esset pertusa, quæ villos tubæ recepere, ut sectione observatum est. Hoc modo tam per vasa maxillaria, quam per hos villos largiter os a tubæ arteriis, nunc ob eliminatum fœtum non amplius compressis nec distentis, est nutri-

tum; hinc etiam maxillæ hæc pars per septem circiter
menses nutrita, multum superavit foetuum vel per aliquot
tempus jam natorum maxillæ similes partes; hinc etiam
dentis rudimentum, apud foetum in substantia maxillæ la-
tens, hic citius evolvebatur, gingivas perpetuo muco &
fortasse etiam ipsa putredine emollitas mox perforavit &
ad tantam magnitudinem brevi tempore pervenit. Alter
dens nullo licet ossis in cavitate hærens, tamen videtur
vasculis ex alio egredientibus nutritus fuisse, cum secto
in cadavere adhuc aliquo modo cum osse cohaerent. Hoc
modo nutritus, sed fortasse non tam abundanter, alteri,
in osse hærenti, magnitudine cedebat.

§. XV.

Putridus vero liquor foetus dissoluti, ex tuba in pe-
ritonei sacrum effusus sub initio Januarii mensis, conti-
nuante putrefactione semper acrior redditus, intestinorum
motu, in omnibus fere abdominis partibus distributus,
irritavit primo præcipue retia vasorum lymphaticorum,
quorum tunicae valde tenues maxime irritabiles sunt, uti
ex physiologicis notum, quæque immediate sub tunica
communi sive externa intestinorum & ventriculi, & inter
tunicae mesenterii, & mesocoli, copiose decurrunt; hac
irritatione lympha, secundum generalem legem “ubi ir-
ritatio ibi affluxus” copiose ad vasa præcipue irritata
decurrans, hæc vasa dilatavit primum, postea disrupti;
ita

ita lympha in intestinis inter tunicam muscularē & communem, in mesenterio & mesocolo inter ambas eorum tunicas & in reliquo peritoneo sub ipsa interna tunica effluxit, hasque tunicas in vesicas elevavit, unde orta ascitis species Hydrops Peritonei s. Cystica dicta, cuius plura exempla collegit VAN SWIETEN 1). Hinc eodem tempore, quo foetus incepit corrumpi circa initium Januarii, abdomen ægrotæ turgere coepit. Eadem vero hac acri materia, qua peritonei hydrops excitabatur, omentum in putredinem valde declive, putredine afficiebatur & consumebatur, hinc nova fat copiosa putris materia in abdomine collecta. Vesicæ illæ vero semper magis magisque repletæ, tandemque nimia liquoris copia multum expansæ, crepuerunt successive & contentum liquidum in peritonei faccum effudere, hocque modo ex cystica hydrope sensim sensimque est orta vera ascites. Medio hinc Februarii abdomen multo turgebat liquore. Punctione igitur facta, effluxit magna lymphæ copia cum intermixta fanie. Operatione non omnis fancies effluxit, relicta vero semper acrior reddita, novas quidem quasdam lymphaticas excitavit vesicas, sed præcipue etiam irritans vasa arteriosa & venosa eisdem in locis cum venis lymphaticis copiose occurrentia, haec inflammat, quæ tandem rupta pus continuo stillarunt; hinc eodem modo quo antea vesicæ lymphaticæ, nunc in toto peritonei sacco vesicæ primum pus tunc faniem vehentes ortæ

1) *Commentar. in BOERHAAV. Aphorism. Tom. IV. pag. 161.*

sunt. Præterea & in ruptis vesiculis sine dubio lymphæ quid mansit, & sanies extus adveniens intravit, concretæ igitur denuo illæ, quod admodum probabile esse duco, & faniem fovere & lympham ab hac acriorem factam; vasa inde irritata inflammataque ipsa auxere saniem; unde quæ antea lympham continuere, nunc sanie scatebant vesiculæ. Hinc post primam punctionem pauci oriebantur lymphatici tumores sed eo plures saniosi, qui omnes sensim sensimque nimis repleti successive crepuere & iterum ascitem formavere, nunc magis saniosam quam lymphaticam. Secunda punctione instituta, a materia acrior semper redditæ, nullæ fere amplius vesicæ lymphaticæ sunt ortæ, sed ubique etiam arteriis & venis inflammatis, omnes vesicæ continebant saniem. Tertia igitur operatione instituta nihil fere quam foetida spissa sanies obtinebatur; quod quarta punctione, quinta, sexta & tandem septima simili constanter modo evenit, hac cum differentia, quod sanies, qualibet vice obtenta, semper fuerit foetidior & plus aëris emiserit, illa, quæ priori punctione egressa est. Tandem ultima punctione erat foetidissima, & magnam aëris copiam est largita, qua uti ex observatione notum, effluxus saniei e cannula interruptus est.

§. XVI.

Nunc tertii & ultimi morbi, cui hæc infelix tandem succubuit, originem effectusque ordiar.

Si caussas in genere examinamus, e quibus cruentus vomitus solent oriri, sunt illæ præcipue plethora univer-

falis, debilitas brevium vasorum, splenicorum, & coronariorum, impedita circulatio in arteriis & venis, quæ præcipue in visceribus abdominalibus fœse distribuunt, retentæ sanguinis excretiones præprimis menstruæ.

§. XVII.

Hæc omnes vomitus cruentus remotæ cauſſæ nostra in misera conſpiraffe videntur, in proximam ejus ultimi morbi cauſſam. Temperamento enim erat uti vocant ſanguineo-melancolico, id eſt ſpiſſo abundabat ſanguine, & per totum tempus, quo dictis laborabat morbis, unica aut altera ſolummodo vice ei ſanguis detrahebatur; univerſali ideo laborabat plethora, quæ augebatur adhuc ex eo quod per totum morbi tempus menstruum fluxum non eſſet experta, quo ſolo ſæpius per multo brevius tempus retento cruentus vomitus folet oriri; præterea etiam arteriæ meſaraicæ & iliacæ cum earum ramificationibus pondere faniei compressæ & fortaffe ipſa hac fanie acri irritatæ & conſtrictæ, ſanguinis ex aorta ingressui reſtiterunt, qui hinc vicinos petiit ramos minus reſiſtentes; magno ideo cum impetu irruit in arteriam cœliacam ob altiorem ejus ſitum minus compressam & irritatam, dilatavit mire hujus ramificationes; hinc coronaria arteria, hinc ipſa vafa brevia ſecto in cadavere calami ſcriptorii crassitiem multum ſuperabant, magna in copia ideo ſanguis ex finibus arterioſis dictorum vasorum in ventriculum hiantibus, hoc in cavum effluxit. At non tantum ex arterioſis finibus ſed etiam venofis, talem ſanguinis effluxum contigifſe ex hoc

C 2

pater, quia nimirum etiam venæ breves & coronariæ cum suis finibus maxime sanguine turgebant, quod hoc modo explicari potest; sanguis cum impetu in fines arteriæ coronariæ ventriculi, & brevium vasorum irruens, impetu & magna in copia etiam ingressus est origines venarum ex his arteriosis finibus oriuntium, hi quamvis acceptum sanguinem multa in copia truncis, venis nimirum brevibus, & coronariæ ingesserint, non omnem ingerere tamen potuerunt his, irritatione saniei abdominalis aliquiliter se contrahere nitentibus; hinc dilatatae ab irruente sanguine etiam fuere harum venarum fines in ventriculum hiantes, & sic sanguis tam ex arteriosis quam venosis finibus copiose irruens in ventriculum, ipsum dilatavit, irritavit & vomitum cruentum caussavit. Hac vero sanguinis copiosa deperditione, & fortasse mutatione nervorum, imprimis abdominalium, per varios miseræ morbos orta, ægrota viribus exhausta vomitu cruento statim rapta est ad plures.

§. XVIII.

Vomitu hoc cruento si non tradita fuisset neci, certe supremum carpfisset iter ob putredinem abdominalium viscerum, omnia enim fere erant putredine affecta, uti ex observatione notum.

§. XIX.

Reperta autem sunt a variis auctoribus in tuba, ovario aut abdomine, similes foetus reliquiæ, præprimis quoque capillamenta, quæ eodem modo ac ossa nostræ observationis a foetu ob defectum nutrimenti mortuo & ma-

xime ex parte a putredine resoluto derivari non possunt; cum nulla eo tempore quo fœtus putrescere debuisset, putredinis signa apparuerint. Quarum observationum aliquas ex præcipuis breviter adducam. BUCHNER *m)* sequentem nobis recenset casum. Fœmina triginta sex annorum, jam ante undecim annos, cum utero gereret, magno tumore lateris dextri abdominis infra umbilicum laborare inceperat, qui, quamvis sano edito partu, non cessabat; sequenti tempore quatuor adhuc sanos partus enixa est, permanente tamen illo dolore lateris dextri; tandem effluxis undecim annis tumor totum occupare cepit abdomen, & cum apostemati perfecte esset similis, punctio instituebatur, per quam ex abdomine saniosæ materie magna exiit vis, & aperto illo loco quo fœmina perpetuum sentiebat dolorem, chirurgus ex facco, quem certe tubam Fallopianam esse creditit & qui intus erat rugosus, extraxit partem maxillæ superioris, digitum longum, una extremitate sat tenuem altero latam, cui præterea inhærebat dens molaris & aliis adjecit cum glomerare capillorum.

Cl. MURRAY *n)* invenit in ovarii tumore præmagnō maxillæ partem in qua plures dentes, & præterea plura alia ossea frustula erant quæ omnia sebo erant circumdata plures continentē pilos, ab ossibus vero propria membrana separato.

m) *Miscellanea Physico-Medico-Mathematica A. 1730. Octobr.*
Class. IV. Art. II.

n) *In invitatione ad actum inauguralem doctoralem. Upsal. d. XIV.*
Jun. 1780.

Eadem quam Cel. MURRAY suæ observationi addidit explicatio, mihi ad BUCHNERI observata etiam pertinere videtur; cum vero hujus observationis explicationem in dicta invitatione propositam, quilibet, qui eam legere desideret, sibi comparare non possit; hinc præcipua ejus adducam. Sequentia nimirum posuit Cl. Vir:

“Quum novum primordium animalis adeo tenerum sit, ut minimam & informem gelatinæ guttulam referat, mirum non est, si sub suo longo ab ovario ad uterus itinere, nunc plane destruatur, nunc vero in partibus quibusdam tabem contrahat nullo modo reparandam; unde fit ut stamina animalculi illæsa & ad debitum locum propulsa, si germinant, ex crescunt, suam fervaturam formam, vel in alienam, licet organicam massam abituram. Monstrorum historiæ plurimæ sunt, eorumque plurima sic generari verosimillimum videtur. Nam si sine præjudicatis opinionibus monstra examinantur, triplici modo oriri videntur; jam enim a defectu partium, jam ab excessu, dum duo vel plura ova plus minusve inter se commiscentur, jam denique a partium organicarum perverfa dispositione. Ut vero ova perfecte fœcundata, modo jam dicto e via sua deflectunt & ad uterus non pertinent, sic etiam hæc imperfectiora idem in ovariis vel in tubis retinentur, vel etiam inter fimbriarum lacinias in cavyum abdominis delabi possunt, hisce in locis germinare”.



(X 228 1910)

Straßburg, Med. Diss., 4.

Caillet -
Cuenotte

B.I.G.

FarbKarte #13



S P E C I M E N I N A U G U R A L E
S I S T E N S
O B S E R V A T I O N E M
D E
C O N C E P T I O N E
T U B A R I A
C U M E J U S E P I C R I S I
Q U O D
G R A T I O S Æ F A C U L T A T I S M E D I C Æ
C O N S E N S U
P R O L I C E N T I A
G R A D U M D O C T O R I S
R I T E C O N S E Q U E N D I
S O L E N N I E R U D I T O R U M E X A M I N I
S U B M I T T I T
F R A N C I S C U S H E N R I C U S C O R V I N U S
A R G E N T I N E N S I S
D I E X X V I I I N O V E M B R I S A . M D C C L X X X .
H . L . Q . C .

A R G E N T O R A T I

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Academæ Typ.